S.mi D. N. D.

CLEMENTIS PP. VIII.

CONSTITVTIO

SVPER RESIGNATIONIBVS MONTIVM ROMANÆ CVRIÆ.







CLEMENS PAPA VIII.

MOTV PROPRIO, &c. Decet Romanum Pontificem Cameræ Apostolicæ iura aduersus prauorum hominum fraudes,& perfidias tueri,& vt fraudes & erro-
res ipsi omnino tollantur opem,& operam impendere opportunas. Cum itaq; sicut accepimus in resignationibus,seu cessionibus Locorum,seu portionum Montiũ
Rom. Cur.ad dictam Cameram nostram Apostolicam, ac etiam ad Religiones,Communitates,Domicellos,& alias personas spectantium,tam vacabiliũ, quàm etiã
non vacabilium,quamplurimæ fraudes, & errores in non modicum eiusdem Cameræ,& aliorum prædictorum detrimentum detectæ fuerint; idq; potissimum euenis-
se Secretariorum,seu Notariorum Montium eorundem imperitia,& negligentia. Nam cum temerè Resignationes huiusmodi, etiam à personis eis minimè notis reci-
piant,nec studeant à resignantibus Literas Patentes eorundem Montium recuperare causæ fuerunt,vt praui homines hac eorum temeritate,& negligentia excitati,si-
mulantes,& falso præferentes se esse veros dominos eorum possessione spoliarunt, & priuarunt,ac etiam aliquãdo resignationes vacabilium ab infirmis, & febri affectis contra formam
erectionum dictorum Montium,in graue ipsius Cameræ præiudicium receperunt. Nos huiusmodi temeritates, fraudes, & callidas inuentiones,quantum cum Deo possumus excerpe-
re volentes,Motu simili, &c. deq; Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium perpetuò sancimus, decernimus, & declaramus de cætero Resignationes, seu cessiones huius-
modi locorum, seu portionum quorumuis Montium vacabilium eiusdem Curiæ nunc erectorum, & imposterum erigendorum fieri, & per illorum Secretarios recipi, & rogari de-
bere coram eorundem Montium Protectoribus, quibus expresè præcipimus, & mandamus, vt resignationes prædictas non nisi à veris dictorum Montium creditoribus, seu procu-
ratoribus ab eis specialis, & sufficiens mandatum habentibus recipiant, & admittant. Et insuper ijdem Protectores non recipiant Resignationes Locorum, seu portionum Montium
vacabilium ab illorum creditoribus, qui mala valetudine affecti fuerint, ea enim lege Montes huiusmodi erecti fuerunt, vt corpore quidem sano, & non aliàs resignari possent. Cre-
ditores eorundem Montium vacabilium, præsentes non admittantur, ad illos resignandum per Procuratores, nisi fuerint mulieres,pupilli, seu aliæ egregiæ personæ quæ à dictis Pro-
tectoribus legitimæ impeditæ iudicentur. Nam mulieres, Pupillos, & personas sic impeditas, obtenta prius in scriptis à Montis Protectore licentia, & facultate, quàm gratis absq;
vlla prorsus, etiam scripturæ recognitione, seu mercede dari mandamus, aut per se ipsas domi coram eorundem Montium Secretarijs, seu Notarijs, aut per procuratores ab eis spe-
cialiter constitutos coram dictis Protectoribus eorum Montes resignare posse declaramus. Si verò creditores absint à Curia, & procuratores, ad resignan. constituti sint ijdem Pro-
tectores studeant, vt ij procuratores speciali, & sufficienti sint mandato suffulti,vtq; instrumenta procurationum legitimè in forma solita sint recognita,& in actu resignationum den-
tur cedulæ alicuius mercatoris in Vrbe negociantis idonei, aut aliàs arbitrio ipsorum Protectorum caueatur, de exhibendo fidem, & attestationem superuiuentiæ constituentis infra
quadraginta si citra Montes, si verò vltra, infra sexaginta dies, vel infra alium terminum per ipsos Protectores statuendum; Quo termino elapso, & dicta superuiuentiæ fide non ex-
hibita, mercator, seu fideiussor prędictus ad consignandum, & soluendum pretium Montium resignatorum dictæ nostræ Cameræ Apostolicæ, & pro ea in manibus sui Deposita-
rij generalis, per opportuna iuris remedia cogatur, Cedulas autem prædictas penes dictos Protectores conseruari, cautiones verò per dictos Secretarios,seu Notarios coram eisdem
Protectoribus recipi volumus, & mandamus. Montium non vacabilium resignationes,seu cessiones aut coram illorum Protectoribus, aut coram Secretarijs, seu Notarijs eorundem
Montium, prout resignas maluerit recipiantur. Sed ad tollendum omnem fraudis, & sinistræ machinationis,ac suppositionis materiam, volumus,& decernimus, vt tàm in Montium
vacabilium, quàm non vacabilium resignationibus, seu cessionibus resignantes, siue principales, siue procuratores fuerint, siue etiam resignationes prædictæ fiant coram Protecto-
ribus, siue coram Secretarijs recognoscantur per duos, vel saltim vnum testem in rogitibus earundem resignationum adhibendos, qui cum iuramento fateantur resignantes esse tales,
quales se faciunt, testesq; prædicti, aut vnus eorum sint noti eisdem Protectoribus, seu Secretarijs, de quibus omnibus in rogitibus dictarum resignationum mentio fiat. Quodq; in
actu resignationum prædictarum Literæ patentes, per quas constet de resignantium creditis exhibeantur, quas Literas patentes, volumus custodiri, & conseruari penes dictos Se-
cretarios in filza particulari per eos adhunc effectum retinenda. Et si contigerit aliquem ex creditoribus Montium prędictorum Literas, patentes prædictas quouis modo amisisse,ni-
hilominus illius etiam resignatio iuxta præscriptam formam recipiatur, & admittatur, cum idonea tamen cautione arbitrio, & de scientia Protectorum per Secretarios recipienda, de
restituendo pretium Locorum resignandorum, ad omne mandatum eorundem Protectorum,& cui,vel quibus ipsi mandabunt. Et ad euitandum nominum, & cognominum credi-
torum prædictorum confusiones, ac fraudes, quæ circa ea committi possint iniungimus,& mandamus dictis Secretarijs, vt in rogitibus resignationum, & in Literis Patentibus Mon-
tium prædictorum perextensum describant nomina, & cognomina, ac patrias, tàm vendentium, & resignantium,quàm ementium, seu acquirentium Loca, seu portiões illorum,
ac etiam nomina eorum patrum, & auorum, cum expressione an vitam agant, vel illam cum morte commutauerint. Præterea volumus,decernimus, & mandamus, vt dicti Montium
Secretarij, seu Notarij, præter Librum abbreuiationum, seu vt dicitur Broliardum rogituum resignationum, & fideiussionum prædictarum conficiant, alium librum in quo perexten-
sum describant earundem resignationum, & fideiussionum, & aliorum dictos Montes concernentium Instrumenta; qui liber inscribatur,& illius folia per numeros designentur; reti-
neant etiam alium Librum pariter inscriptum, & designatum,in quo de verbo ad verbum registrentur supradictæ Patentes. Et insuper dicti Secretarij,seu Notarij, & eorum quilibet te-
neantur infra biduum ad summum post finem cuiuslibet Mensis, Listam,seu descriptionem eorum,qui in Mense pręcedenti aliqua Loca, seu portiones Montium prædictorum eme-
rint, cum expressione nominis, cognominis, Patris, Aui, & Patriæ, ac diei, à quo illorum fructus debeantur, & aliorum requisitorum, iuxta tenorem, & dispositionem Literarum,
Patentium, desuper expeditarum, Ratiocinatoribus, seu Computistis dictorum Montium tradere. Ratiocinatores verò, seu Computistæ prædicti, intra alios tres dies subsequentes,
sub pœna amissionis Officij Listam,seu descriptionum prædictorum, & aliorum Montium prædictorum creditorum, vt supra designatorum eorundem Montium Depositarijs fideli-
ter consignare, vt fructus, & emolumenta illorum congruis, & debitis temporibus persolui possint, necnon aliam similem Listam,seu descriptionem Commissario Cameræ tradere,
sub simili pœna teneantur. Depositarij verò in fine cuiuslibet bimestris, seu alterius temporis ad solutiones Montistis faciendas destinati eidem Commissario Cameræ tradere debeant
computum, seu Listam ab eis subscriptam, in qua sint adnotati omnes creditores Montium, quibus sit facta solutio, vt ex ea iuncta alia Lista danda, vt supra, per Computistam sciri
possit, qui exegerint, vel non. Quam Listam prædicti Depositarij teneantur dare integram,& realem,sub pœna dupli, & alijs arbitrio dicti Protectoris. Si quis autem Secretariorum,
vel Notariorum prędictorum supradictis nostris ordinationibus, decretis, & mandatis, vel eorum alicui contrafecerit, vel illa non obseruauerit ad damna,expensas, & interesse per di-
ctam nostram Cameram, & alios quoscunq; propterea quomodolibet patienda, facienda,& incurrenda teneatur, necnon pro prima ducentorum,& pro secunda vice quingentorum
scutorum monetæ, & amissionis Officiorum prędictorum Cameræ Apostolicæ applican. ac etiam corporali pœna, arbitrio Protectoris mulctetur, & dominus teneatur pro substituto
suo. Cæterum, vt Officia Secretariorum, & Ratiocinatorum Montium prædictorum distinctè, & rectè gubernentur. Decernimus, & declaramus Officia huiusmodi incompatibilia
fore, & vtrunq; ab vnamet persona obtineri non posse. Imo, si quis illa, ex quacunq; etiam Apostolica concessione quouis titulo,etiam oneroso obtineat, alterutrum infra quindecim
dies à publicatione pręsentium computan. dimittere teneatur. Alioquin vtroq; priuetur, & dictæ nostræ Cameræ eo ipso absq; vlla declaratione applicentur. Quocirca eisdem moder-
nis, ac pro tempore existen. dictorum Montium Protectoribus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ,ac alijs nostro, & pro tempore existen. Rom. Pont. arbi-
trio infligendis pœnis tenore pręsentium districtè præcipimus, & mandamus, vt supradictas nostras ordinationes, decreta, mandata, & statuta, ac omnia,& singula in illis contenta, dili-
genter obseruent, & à dictis Secretarijs, Ratiocinatoribus, & alijs, ad quos nunc spectat, & spectabit, quomodolibet in futurum obseruari curent, mandent, & faciant cum effectu.
Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,ac dictorum Montium erectionibus,illorumq; Collegiorum,etiam iuramento,confirmatione *Apostolica, vel qua-*
uis firmitate alia roboratis statutis, ac consuetudinibus, priuilegijs quoq; & indultis, ac facultatibus eisdem Protectoribus,Collegijs, & Officialibus prædictis, in genere, vel in specie
per quoscunq; Rom. Pont. prędecessores nostros,ac etiam Nos concessis, approbatis, & innouatis,quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro expressis haben. hac vice dumta-
xat specialiter, & expresè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Ne autem quispiam præsentis nostri Motus proprij dispositionis, seu tenoris ignorantiam prætendere valeat,
volumus, decernimus, & mandamus, vt imprimatur, & sic impressum in Cancellariæ,& Cameræ Apostolicæ, Valuis,& Aciei Campi floris, per affixionem copiarum illius impressa-
rum, publicetur, & exinde omnes, & singulos, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum afficiat, ac si personaliter foret intimatus. Volumus insuper præsen-
tis nostri Motus proprij Cedulæ solam signaturam absq; eo quod registretur, aut data in eo apponatur sufficere,& illius transumpta, etiam impressa manu alicuius Notarij publici,&
Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munita in iudicio, & extra fidem facere quacunque regula, seu Constitutione Apostolica contraria non obstan.

Placet Motu proprio Hi.

Anno à Natiuitate Domini, Millesimo sexcentesimo, Indictione decimatertia, die vero xv. Maii, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri D. Clementis Diuina prouidentia Papæ Octaui, Anno eius nono. Supradictæ Literæ affixæ fuerunt in Acie Campi Floræ, & alijs locis consuetis, vt moris est, per me Dominicum Gugnettum Curs.

P. Aloysius Peregrinus Mag. Curs.

ROMAE, Apud Impressores Camerales. M. DC.